

# **Venenorum discrimina summatim excussa ... / [Johann Christian Sommer].**

## **Contributors**

Sommer, Johann Christian.  
Sigwart, Georg Friedrich, 1711-1795.  
Universität Tübingen.

## **Publication/Creation**

Tubingae : Litteris Schrammianis, 1765.

## **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/f67nzmsx>

## **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



12  
13  
VENENORVM DISCRIMINA  
SVMMATIM EXCVSSA.

---

P R A E S I D E

V I R O

*EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO*

D O M I N O

GEORGIO FRIDERICO  
SIGWART,

PHILOS. ET MED. DOCTORE  
MEDICINAE CHIRVRGIAE ET ANAT. P. P. O.  
MEDICO AVLICO WVRTEMBERG,  
H. T. DEC.

P R O

SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS  
ACADEMICIS

LEGITIME IMPETRANDIS  
ERVEDITORVM EXAMINI PVBLICO SVBMITTIT.

D. H O R A

A V C T O R

IOHANNES CHRISTIANVS SOMMER,  
VNTER-RIXINGENSIS.

---

T V B I N G Æ,

LITTERIS SCHRAMMIANIS.

An. 1765.



VENTONIAN DISSECTING  
SALINITY IN EXCESS

PER A R S I D E

D O M I N O

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK

THE NEW YORK





## PRAECOGNOSCENDA.

### §. 1.

**T**hematis tractandi propior *determinatio*, in ipsa ejus quæ hic incipit, tractatione primum sibi vindicat locum. Ea vero vix plura requirit, quam quæ in ipsa hujus opellæ *inscriptione* jam expressa leguntur. Hanc juxta nempe de *venenorum discriminibus generaliora* tradere constitutum habeo. Illorum itaque heic non expectanda erit proluxior specialiorque *tractatio*. Etenim vel unius tantum veneni hujusque opponendæ antidoti exactior disquisitione integra vix comprehenderetur hujusce modi dissertatiuncula. Quid? quod ne plena quidem generalior de illis doctrina hic desiderari poterit. *Generaliora* non *indefinite*, sed quod notari velim, eorum tantum quædam tradere *restrictè* insuper promitto. Tantum de *thematis* ratione, qua ipsius circumscribuntur limites, ex quibus proinde universa ejus tractatio, pro fine præsentis opellæ æstimanda est.

### §. 2.

Quod ad *usum* hujus doctrinæ attinet, is, ut equidem judico, in propatulo est. Hunc ea spondet in *utroque medicina* nostra, *jatrologica* nempe æque ac *chirurgica*. Atrocissimos non modo inducunt morbos, sed & ipsa in se sunt morbi ferocissimi, veneficia. Prompta & exquisita hæc postulant subsidia medica, interna æque ac externa, adeoque ex fonte *medi-*



co *strictius* sic dicto partim , partim *chirurgico* , partim *diætetico* petenda. *Venena* itaque & *veneficia* & quibus hæc vel præcavemus imminetia , vel removemus præsentia , media probe habere cognita , plurimum omnino refert in utroque foro medico.

### §. 3.

Neque quam dictam ( §. 2. ) minus evidentem esse existimo *utilitatem* & necessitatem cognitionis accuratioris *venenorum* & *veneficiorum* in *causis mixtis* , ubi nostri officii est, *vulnerum* & *lesionumque* qualiumcunque conditionem & lethalitatem curatius dijudicare , in quo maxime versatur *medicina nostra forensis*. *Nostra* , inquam , pleonastice quidem , quoniam eam nostram esse ipsa ejus sine hoc additamento jam involvit atque implicite innuit nuda appellatio. Sed pleonasmum hujus excusationem promittit *medicinæ forensis* a *jurisprudencia medica* distinctio , quam heic innuo , adeo necessaria ; hac quippe perspicimus , *illam* solam ad nos spectare , *hanc* contra nil ad nos pertinere , adeoque cum *hac illam* aut *hanc cum illa* male & præpostere commisceri , seu ut rectius loquar , confundi , licet hæc sine illa existere nequeat , utpote ab illa sua petens principia.

### §. 4.

Ceterum exquisitiorem de *venenis* & *veneficiis* doctrinam non tantum in *utraque medicina nostra strictius dicta* ( §. 2. ) & *forensi* ( §. 3. ) sed & in *jurisprudencia medica* quam maxime necessariam esse ex ipso modo indicato ( §. 3. ) nexu pariter perquam facile intelligitur. Quid enim ad medicum *jurisprudencia medica* ? Nil certe , nisi quidem ex utroque Cæsar esset , sed rara hæc avis ? Quid contra ad Iuris sacerdotes *medicina forensis* ? æque nil nisi ex utroque pariter essent Cæsares , qui nisi essent , a sanitatis sacerdotibus sua non possunt non petere principia , ex eorum *medicina forensi* repetenda. Hæc sola illa jacet , jactaque suppeditat fundamenta , quibus fulciuntur iusta in causis ejusmodi mixtis ferenda judicia forensia. *Jurisprudencia* itaque *medica* , *medicina nostra forensi* non debite fulta , certe non potest non esse suis fundamentis destituta. Tam ecce ! certus , tam evidens



evidens porro est accuratioris de *venenis* & *veneficiis* disquisitionis *usus* ex *medicina nostra forensi* ad *jurisprudentiam medicam* sese diffundens.

### §. 5.

Atat indicatum haëtenus (§. 2-4.) præsentis disquisitionis multiplicem locupletemque *usum*, facile in *abusum* trahi posse prævideo. Ita nempe comparata erant de *venenis* & *veneficiis* dicenda, ut videri posset ipsis hic *veneficiis* & *veneficis* parari patrocini-um. Neque horum forte deerunt nulli, qui *veneficiorum* suorum excusationem inde aucupaturi, contendunt, se *venena* non dedisse, quæ reapse tamen dederunt, cum medicamenta ceteris paribus alias esse possint, quæ ab ipsis data, *venena* dicerentur. Verum res erit in salvo apud æquiores harum rerum iudices, qui, quæ ponemus principia, melius interpretari norunt.

### §. 6.

Vnum præterea hic prævertendum sese offert *dubium*. *Generaliora*, si, quæ sequuntur, tantum erunt, adeoque remotiora, quis *usus* inde haberi poterit in propius cognoscendis & curandis *venenis* & *veneficiis*? *Generaliora* non curamus? Atat, respondeo, nonne ista supponuntur in specialioribus & propius rite expediendis? Nonne ista ad hæc undiquaque ita se extendunt, ut horum nulla debite tractari possint, illis non prius curatius excussis? Nonne proinde *generalior* de *venenis* doctrina *usum* suum per universam de istis specialioremlongè lateque sese diffundit? Nonne itaque hoc ipso eo amplior ejus est *usus*?

### §. 7.

Ita vero (§. 2-6.) non inutilem & multiplici nomine momentosam materiam tractandam me sumere plane persuasus operam dabo una, ut eam pro rei dignitate, ea quoque ratione, quam *methodus* postulat academica, quoad potero, pertractem, meæ imbecillitatis probe confcius.

### §. 8.

Supereft in præcognoscendis, ut pro indicato (§. 2-6.) quem intendo, scopo, materiæ tractandæ (§. 1) summam determinem. Constitutum habeo, leviori penicillo adumbrare *generaliora*



*valiora quaedam de venenis. Quedam* repeto, quoniam pagellæ hæc speciminis loco edendæ pleniorē tractationem capere non potuissent. At *quaenam* ista erunt, quæris? cur non in *thematis* determinatione adcuratius expressum lego? In eome haud peccasse existimo, quin immo juxta *methodi* heic mihi observandæ (§. 7.) leges necdum id indicare possum. *Venenorum discrimina generatim* expensurus id demum debite iustoque loco determinare potero, ubi de illis nominatim acturus sum. Suffecerit hic ita manifestum esse *proponendorum fundamentum adaequatum*, quod juxta hæc tractatio versatur circa *venenorum discrimina summatim excutienda*. Quæ vero de hisce dicenda mihi sumserim, suo indicabo loco.

#### §. 9.

Neque tractationis *ordo*, quo hic in illa jam mihi progrediendum est, in obscuro esse potest. Ad artis cogitandi, *methodique*, quæ in illa præcipitur, *analyticae* normam servandam utique (§. 7), vel leviter reflectens facile intelligo, ante omnia *genuinam* non modo, sed & *adaequatam veneni* notionem eruendam & fundamenti loco hic ponendam esse. Huic addam succinctam disquisitionem, qua *species & reliquas venenorum varietates* determinare adlaborabo. En! primam *quorundam* istorum in hac parte proponendorum suo ita loco positam (8.) determinationem.

#### §. 10.

*Veneni* exactiorem *notionem* præcedere illam de illorum discriminibus doctrinam, nil attinet, fusius demonstrare, utpote quod omnibus sponte patet, inque confesso esse prævideo. Hæc enim ex illa demum eruenda & deducenda sunt.

#### §. 11.

Mirum sane in hunc usque diem, quantum equidem scio, nondum deprehendi hujus *termini notionem legitimam fixamque* & omnibus comprobata. In plurimis, quas perlustravi, neque dissertationibus, neque scriptis pathologicis, neque aliis integris hac de re scriptis prælectionibus academicis librisve typis expressis mihi saltem talem offendere licuit, in quam communi  
nomine



nomine ab omnibus consentire liceret, quales tamen non possunt non esse, quibus utimur, *termini*, si quidem definibiles, nec *simplices* sunt eorum *notiones*. Hoc enim qui negaret, vel *terminos inanes*, vel istiscum *qualitates occultas* admittere deberet, aut denique omnem dudum stabilitam *legitime definiendi* rationem respuere, aut subvertere auderet; sed posterius hercle! quam frustra? Qui enim fieri posset, ut primo hæcce ab *artis cogitandi* propagatoribus & propugnatoribus in castris logicis adeo jamjam jacta, firmaque, & hæctenus in concussa veritatis *analyticae* stabiliendæ munimenta ab illius levioris armaturæ insultu vel tantillum concuterentur, nedum subruerentur? Veræ eruditi veritatis defensores spernunt omnino hæc fulgura ex pelvi.

§. 12.

In tanta vero magnorum etiam virorum inconstantia (§. 11.) quid consilii? An in ambiguo res, & sua cuivis sententia relinquenda est? Nimia hæc esset vel oscitantia, vel culpandum de se ipso diffidentiae præjudicium, vel vanus auctoritatis metus. Quid jam? forsanne consultius est, prout occasio id det, medios nos gerere, & pari atque indifferenti utramque in partem studio adfectos nos esse? Hem! quam iniquum hoc foret partium studium, tam anceps, quanta in eo repugnantia, *nullius*, & *omnium partium studio* duci velle? quam turpis hæc in veritatis foro *indifferentia*, quam injuste quæsitæ, quam temere affectata singularis alicujus placabilitatis gloria! Adeo placatuli, tam polituli veritatis studiosi esse nequeunt, ut omnia ipsis promiscua sint & culpandi *consensus praetextu* in quamvis partem liberos se gerant, ac solutos. At forte utraque hic dissentientium pars aliquid veri habet, quod retineri utrinque atque combinari possit, ut quod ita nisi in totum, in tantum tamen ab utraque parte stare liceat. Neque equidem hoc video. Opposita sunt quæ volunt. Alteri dari, alteri nullum dari venenum asserunt, adeoque, quod illi affirmant, hi negant. Nullo igitur modo ab utraque hic stare licet, decetque parte. Ergo ab alterutra, quia non ab utraque. Quanam vero? Eorum certe, qui vere dictum venenum dari affirmant, Cujus asserti  
veritas



veritas sponte elucescet, dummodo debite determinatum fuerit, quid hoc nomine veniat.

§. 13.

Quid ergo tandem illud est, quod *venenum* audit ubique? Quæ hujus nominis *idea* suum *definite* exprimens *ideatum*?

§. 14.

Ecce istam! *Venenum* est quævis materia substantiæ vivæ finitæ physice præternaturalis ipsi plane nociva.

§. 15.

*Plane* repeto, hoc est, sanitati & vitæ ipsius adeo contrarium, & ita nocivum ut nocendo etiam nil juvet, nec ullo modo in salutarem cedat eventum.

§. 16.

Hoc (§. 15.) enim sibi vult vocula illa *plane* (§. 14.) quæ non idem innuit, ac *per se* nocivum, utpote quod hic distinguendum est a *plane* nocivo indicata significatione accepto.

§. 17.

*Tria* præcipua hic probe tenenda causæ momenta continent proxime antecedentes tres paragraphi. Prima nempe (§. 14.) *Veneni* notionem, secunda (§. 15.) definitionis hujus *explicationem*, quibus tertia (§. 16.) *necessariam* addit *distinctionem*.

§. 18.

Circa hæc (§. 17.) omnia plures omnino institui possent disquisitiones, & moveri quæstiones excussu digniores, ut: cur & quo sensu in notione hac *definitiva* generis loco ponatur quævis *materia*? utrum ita, ut decet, *genus* exprimatur *proximum*? cur non dicatur *sanitati & vitæ contrarium*? cur non *corpus*? cur non *mixtum tale*? cur non *aere causticum corrosivum*? cur *materia præternaturalis*? cur *physice præternaturalis*? cur *substantiæ*? cur *vivæ*? cur *finitæ*? cur huic in genere nec corporeæ *inspecie*? cur non *animali*, aut corpori *animali*? an recte sic involvantur *vivæ* qualiacunque, *vegetabilia* etiam? an *simplicia* adeo? cur *nocivum* tantum, nec *deleterium* nec *lethiferum*? & si ideo *plane* nocivum dicatur, quod sine solutari eventu noceat, nonne sic tecta involvatur *contradictio*?

Nonne



Nonne repugnet *nocivum salutiferum* ? Eccur non ut alias dicatur, quod *minima mole*, nec quod *celeriter*, nec quod *constanter*, nec quod *applicatum* vel *ingestum*, funestum edit eventum ? cur non, quod *per se* destruit & mortem infert ? *cet.* Verum enim vero cum hæc partim ab *spectatissimo Dn. PRÆSIDENTE* satis superque explanata viderim, partim amplius, quam quod hisce pagellis destinatum est, spatium postularent, ea hic præterire licebit.

§. 19.

Præterea fusior ad ista (§. 18.) disquisitio ad rem præsentem & jam (§. 18.) determinandas *venenorum varietates* minus necessaria esse videtur, quum ad id præter dicendis substratam (§. 14.) explicatamque (§. 15.) *veneni notionem* nil amplius requiratur. Præscripto (§. 9.) iustoque itaque dicendorum ordine ad venenonem discrimina determinanda progredior.

§. 20.

At hæc, obverti posset, illorum quoque *species* involvere juxta supra dicta (§. 9.), me vero hujus doctrinæ *generaliora* tantum promississe (§. 1.) *specialiora* autem plane differre à *generalioribus* adeoque cum *hisce illa* hic confundi. Verum ad *inferiores venenorum species* hic non descendam, sed *superiores* tantum attingam, quæ itaque omnino in *generaliori* hac doctrina suum sibi vindicat locum.

§. 21.

Præterea non *has* (§. 20.) modo sed & *reliquas* ab hisce distinguendas, ut id supra (§. 9.) jam distincte innui, *venenorum varietates* percurram, non quidem omnes & singulas, sed præcipuas tantum, & eas præsertim, quorum prævia cognitio in determinandis eorum antidotis maxime requiritur

§. 22.

Istas vero non *rhetorica* seu *dialectica* dicendi copia, qua me destitutum esse sentio, enarrabo, non, inquam, edisseram, sed ea, quam postulat hujusce modi specimen academicum, ratione, & nuda, simplici, plana, ac ab isto ornatu aliena, sed eo ipso evidentiori *analyfi*, pro viribus proponam, primo quidem



dem præmissurus ubique jacienda in singulis *varietatum fundamenta*, certa, fixa & adæquata; his dein superstructurus ipsas in illis fundatas *venerorum diversitates*, *divisiones* puta, ac *distinctiones*, eorum scilicet *inter se* non *ab aliis*, quæ venena non dicuntur, cujus nominis *distinctiones* huc non spectant; *postea* has *definiturus*, ubi id necesse erit, nec ex ipsis jam jactis fundamentis vel solis denominationibus earum *definitiones* sponte elucescent, adeoque me tacente a nemine non facile suppleri poterunt; easdem *denique* evidentioribus *illustraturus* exemplis.

### §. 23.

Primum non quidem *divisionis* sed *distinctionis* venenorum *fundamentum* jure meritoque petimus a nostræ de iis cognitionis ratione, *vel* enim propior qualitatis eorum cognitio nobis concessa est *vel* nos latet eorum intimior *indoles* & inde explicandus eorum *agendi modus*.

### §. 24.

Hoc, quod sola nobis suggerit alterum ab altero *distincte* discernendi *primitiva intellectus facultas*, *reflexio* dicta, & ab altera *primitiva intellectus facultate*, quæ *ratio* vocatur, *distincta*, fundamento nititur, prima, quæ heic notanda venit, *varietas*, quam juxta proinde non *dividenda*, sed *distinguenda* sunt (§. 22.) venena in *a*) *noscibilia* & *b*) *heteroclita*, seu *occulta*.

### §. 25.

Venenis autem *noscibilibus* *notisque* opponi *heteroclita* adeoque hæc idem dicere ac *occulta* vix dubitare licet. Illustri BOERHAVIUS in *institutionibus suis medicis* (§. 1145.) ita habet: *denique habentur venena heteroclita tot vitæ adversa, nec explicato effectu vel virtute, hæcenus bene nota, quæ assumtu, applicatu, aut ictu mortem inferunt. Cantharides. Aranea. Tarantula. Aspis. Vipera. Ceraſter. Preſter. Seps. Scorpius. Canis rabidus. Bufo. Bupreſtis. Stellio. Salamandra. Lepus marinus. Paſtinaca marina, & ſimilia. Pauciora hujus nominis venena admittere videri poſſet recentiſſimus idoneus auctor ILLVSTRIS H. I. N. CRANZ, in materia ſua medica & chirurgica, (quam in rubro & nigro perbene ita diſtinguit) T. III. Claſſ. VIII. verum*



is in hac classe, ut inscriptio habet tantum agit de *venenis heteroclitis animalium*. Neque hic obverti potest, sola *venena animalium* dici *heteroclitia*. ILLVSTRIS BOERHAVIVS, aperte hæc opponit notis, & procul dubio animalia tantum recenset, quia hæc à potiori talia sunt. In CEL. CRANZII vero modo indicata inscriptione valde superfluous esset frustra que poneretur & sine ulla ratione abundaret alterutur in ea terminus, si *venena animalium* & *venena heteroclitia* plane eadem IPSI dicerentur, quin IPSE loco citato Tom. III. Class. IX. pag. mihi 103. latiore innotuit hujus termini significatum, quando vini fermentantis halitum ab HELMONTIO gas sylvestre ideo dictum esse scribit, quod ob vim *heteroclitam* capi non posset. Ecquis denique crediderit, duumviros hosce aliosque, qui hac utuntur locutione, statuere, sola *venena animalium* inter nobis ignotiora referenda esse. Vtunque res se habuerit, certum tamen est, *animalium venena* neutiquam sola esse, dicique posse *heteroclitia*, seu ab aliis omnibus in eo tantum ablutentia, quod sola nobis sint abstrusa; sin etiam, quod ultimum addo, *strictiori* significata hoc *termino* usi fuerint alii, cur latiori eum sumere non liceret, siquidem aptius id fieret?

## §. 26.

Quæ per utriusque nominis (§. 24.) *venena definite* intelligenda sint, vel ex ipsis eorum determinationibus, & ex dicto (§. 23.) *varietatis* hujus *fundamento* sponte elucescit, adeoque eorum definitiones brevitatis ergo pro indicato fine (§. 22.) jam præterire liceat.

## §. 27.

Supereft dictis (§. 23 - 26.) majoris evidentia causa addenda (§. 22.) *illustratio*. Eorum, quæ quoad qualitates suas nocivas nobis notiora sunt venenorum *exempla*, maxime præbent *caustica* illa, atque acida salia *mineralia*, utpote, quorum qualitates, discrimina, habitusque ad alia corpora ex chemicis aliisque experimentis admodum manifesta facta sunt. Venenis *heteroclitis* accensentur v. c. Cantharides, Viperae, Tarantulae, & salivæ eorum etiam, quod maxime mirandum, ani-



malium rationalium & irrationalium rabidorum, & iratorum adeo, quibus alias nullum venenum in dente est &c.

§. 28.

Circa hætenus expositam venenorum varietatem (§. 23-27.) id unum adhuc monendum erit. Verum est, *heteroclyta* seu quoad eorum qualitates nocivas, & nocendi modos ignotiora nobis esse venena modo allata (§. 27.) & nonnulla alia, quæ his vulgo annumerantur. Sed dantur plura alia, quæ huc vulgo non referuntur, & quoad intimiorem eorum indolem æque nobis occulta sunt. Fallaciam igitur *partitionis* certe committunt, qui *ordinis systematici rationem* in sua de venenis doctrina ab hoc fundamento petunt, neque tamen omnia, æque bene ignota, ad ipsa sic dicta *heteroclyta*, sed ad alteram *quasi cognitorum* classẽ referunt. Quin imo, qui id faciunt, aliis quoque modis innocentissimis erroribus versantur, ignota pro notis habentes, aliisque pro talibus illa obtrudentes. Sed decet nos & plurimum refert, nostram in disciplinis *ignorantiam* etiam invincibilem intelligere accuratius, non intellectam explorare curatius, exploratam confiteri cordatius.

§. 29.

Ceterum facile intelligitur, *heteroclyta vel* ex parte *vel* in totum talia esse, adeoque ea distinguenda esse in a) *simpliciter* & b) *secundum quid heteroclyta*, cujus varietatis analysi ulteriori imorari, non erit necesse.

§. 30.

Sed missis jam venenis *heteroclytis* seu nobis *ignotioribus*, & quoad qualitates suas, adeoque inde derivandas eorum *species* nobis pariter non obviis, ad ea progredior, quæ quoad qualitates suas nocivas, nisi in totum, ex parte tamen, manifestiora sunt, atque hinc eatenus ita comparata, ut non modo in suas dividi possent *species* sed nostræ de ipsis cognitionis respectu alias adhuc admittant *distinctiones*.

§. 31.

Ab *Heteroclytis* nempe seu *occultis* modo explicatis (§. 23-28.) distinguenda sunt tam *abstrusa*, quam *neglecta*. Illa *occulta* dicuntur,



cuntur, ob *qualitates* suas *occultas*. *Occultae* vero *qualitates* sunt, quarum cognitio nobis denegata est. Sed posteriorum modo nominatorum *venenorum*, *abstrusorum* quippe & *neglectorum*, cognitio denegata nobis non est. *Abstrusa* ab *occultis* discernenda, tantum dicuntur erutu cognituque difficiliora, hæc nisi operosius explorentur, eatenus *neglecta* etiam dicuntur. Sed cognitu etiam facilia, immo facillima, sæpe prætervidentur. Hinc sæpe multo plura minusque excusabilia, ac vulgo putatur, inter *neglecta* nostra referenda sunt. Vtiusque sic indigitatæ *venenorum distinctionis*, utpote per se ita jam perspicuæ, diffusio-  
*rem analysin* non esse necessariam judico.

§. 32.

Adductæ (§. 29. & 30.) vero similesque *venenorum* distinctiones superflue aut inutiles haberi non poterunt. Expedit enim profecto in rebus nostris cognoscendis pariter atque agendis discernere *secundum quid occulta* a *plane occultis*, & utraque ab iis, quorum plenior certiorque cognitio nobis non denegata est, ne in *horum illorumve* indagine aut vel in totum vel ex parte oleum operamque nostram perdamus, aut ea, quorum cognitio nobis tamen concessa est, pro *occultis* habentes leviter deferamus. Iuvat præsertim *occulta* ab *abstrusis* distinguere, ne indaginis difficilioris pertæsi *abstrusiora* ad *occulta* oscitantes rejiciamus. Ad usum etiam pertinet, dignoscere *abstrusa* à *cognitu facilioribus*, ne illa horum nomine obiter tangamus, & pusillorum heroum more superficetenus tractemus, quæ profundius erui debent, & majorum virorum diligentiam requirunt. Conducit quoque *neglecta* a jam exploratis discernere, ne aut actum agamus, crambemque toties coctam recoquamus, aut ab aliis *neglecta* negligamus amplius, præsertim ea, quæ sine damno negligi nequeunt.

§. 33.

Hem! vero quot quæso dantur *venena neglecta*, *medica* & *pharmaceutica* & *diætetica*! Quam frequens mors in ollis, thecis, apothecis, cellis, culinis! Melle! quid dulcius? quid præstantius habetur? PLINIO illud dicitur, *coeli sudor*, *siderum*  
B 3 saliva,



*saliva*, ros cœlestis. WALLERIUS in *Hierne* nec ad animale, nec ad vegetabile regnum illud referendum esse, sed spiritu mundi turgere, & acidouniversalis gravidum statuit. Atat, ut uno *exemplo* meum assertum (§. 32.) illustrem, hæc dulcedo alias antidotus habita, ipsa amarum sæpe venenum est, non *per accidens* modo, ut sub usu medico-chirurgico, sed & *per se* haud raro. Apium examina succum suum alibilem a diversissimis fugunt vegetabilibus, ipsis quidem semper conducen-tem, & innoxium, nobis sæpe plane noxium. Sibi enim potius quam nobis eum colligunt, ex gratis gratum, &, nisi ipsis, nobis tamen ingratis, ingratum, ex amaris amarum, ex narcoticis narcoticum, ex venenatis venenatum. Ut enim mel pertinaciter servat sapes, ita & vires plantarum, e quibus illud hauriunt. DIOSCORIDES jam testatur, amarum mel gigni in Sardinia, quod apes ibi ab absinthio victum suum pe- tant, & PLINIVS scribit, Heracleæ in ponto mel produci, quod sudore colliquante perderet, & mentem alienaret. Immo referente XENOPHONTE & DIODORO SICULO, decem mille homines, ad Trapezontum stativa habentes, qui alveariis apum indulgissent, sursum deorsumque motos, & mente alienatos fuisse, ita quidem, ut, qui corpore adhuc non mente tamen constarent, hos ebriorum, illos maniacorum in modum actos, alios etiam quasi post cædes humi prostratos, mirando tamen eventu fractaque veneni vi post tres, quatuor, dies surrexissent, violento veluti medicamento purgante debilitatos. Nonne itaque circa *mellis usum* medico-chirurgicum, atque culinarem majori opus est cautione? nonne huic providentiæ repugnat in campis & nemoribus venenosa flora confertis, apes alere? Nonne minus consulta Adone in hortis decumanis in flores opere topiario descriptis pro solis oculorum deliciis, cerenthi loco napellum, daturam, poma amoris aliamque floram venenatam, interque has musarum volucres una alere?

#### §. 34.

*Reflectendo* (§. 24.) a prælibatis *venenorum distinctionibus* porro ducor ad ipsas eorum *differentias* específicas, in ipsorum notio-



notioribus qualitatibus fundatas. Venena nempe, quoad constitutionem suam internam viresque, quas possident, nocivas. analyfi ex Chemica, ex aliisque experimentis, per mortem sæpius factis, etiam medicis, inquam, prohi dolor! propius a potiori (S. 29) nobis cognita; vel salinis; vel sulphureis; vel terreis, glutinosis, stipticis, gaudent principiis; vel horum uno pluribus scatent. Vnde illa dividuntur in a) *simpliciora* & b) *mixta*, priora autem iterum subdividuntur 1) in *salina*, exemplis infra suo illustranda loco, ubi illorum species *inferiores* dicentur. 2.) *Sulphurea*, qualia sunt: vapores lithantracum maxime in fodinis carbonariis, aquarum stagnantium putridarum, vegetabilium noxiorum, ædificiorum recens structorum & dealbatorum cet. 3.) *terrea*, ut *gypsum*, quo farinæ ad mixto ingens Germanorum exercitus periisse fertur; *plumbum*, *minium*, quo ob vilis pretium loco cinnabaris pro rubro pulveri illi famoso sic dicto *temperanti* conciliando, sæpius utuntur, sicque alio sæpe nomine jam venenosum hanc pulverem magis venenosum reddunt; *Lithargyrus*, *stannum*, & quæ ex hisce & similibus præparata prostant in officinis e. g. sic dicta *magisteria*, *calces*, *species*, *pulveres* etiam præsertim *pretiosi* dicti, *pulvis Viennensis albus*, atro rectius carbone notandus, quatenus gypsea illum ingreditur glacies Mariæ, *galactopoei*, *antihecticum Poterii*, hecticum seu hecticos faciens rectius dicendum, *fungi spongiæ*, *spongiorum lapides*, *gallæ* in pulveribus contra strumam cet. *Mixtorum* contra venenorum tot sunt *species*, quot dictorum dantur combinationes, ex his ipsis definitu facilium. Huc e. g. spectant, *Cicuta*, aliaque *stupefacientia* dicta, *Belladonna*, *Datura*, quæ sæpe funesto eventu pro *nigella* divenditur, *Helleborus albus*, a nigro diversissimus, ut mirum sit, eodem nomine eum insigniri potuisse, hinc alias tam celebres quoque officinales pillulæ *Wildegansii*, quas ille ingreditur. *Arsenicum*, *Cobaltum*, *Butyrum antimonii*, vitriola ordinaria & novioribus artibus factitia, nec hic eximenda sunt aurea & argentea venena, ut *aurum fulminans* & *solutiones horum mineralium*, quæ aut omnino acerrimæ sunt, omnia corroderes, aut totæ calces inertes, & irresolubiles in visceribus nostris.



## §. 35.

Ad discrimina salium in chemia jam determinata reflectentes axiomatice scimus, ea esse vel alcalinae, vel acidae, vel falsae indolis, quæ posteriora etiam mixta dicuntur, & neutrius generis salia. Inde triplicis nominis habemus salinorum venenorum species, iterum facile determinandas. Sunt nempe a) venena alcalina, qualia sunt tam fixa, pura, & calce viva parata, acerrima, sanguinem dissolventia, & putredinem inducentia, quam volatilia, vi ignea, caustica, exulcerante pariter infamia; b) acidæ, ut nitri, salis communis vitrioli tam spiritus, quam oleum, ut improprie loquuntur, aqua fortis, regia; c) falsa, ut vel ipsum nitrum etiam purissimum intempestive adhibitum.

## §. 36.

Hem! vero nonnulli hic forsan reclamitant ad posterius assertum (§. 35.), nitrumne venenum, itane famoso illo & polychresto, imo prope holichresto habito pulvere temperante, antispasmodico, qui utuntur, venenum toties deglutunt? Potestne unum idemque venenum haberi & medicamentum? Responsu ad hæc haud erit difficile, dummodo, ut veneni, ita & medicamenti genuinam notionem habeamus, & ad inde intelligendam, hujus ab illo differentiam attendamus. Sed in hæc jam fufius inquirere alienum foret a re præsentī. Suffecerit unum hoc addidisse, experientia dudum confirmatum esse, intempestivum, largiorem, continuum & sæpe quotidianum pulveris sic dicti temperantis usum, venenosam habuisse efficaciam, & ab aliis venenis vix expectanda induxisse mala, in humoribus æque ac in solidis partibus, ventriculi præsertim vitia, & damna sæpe permanentia, atonias, impotentias cet. ut posteriori nota pulvis hic vel ipsis feminis infamis factus fuisse dicatur. Venenum autem veneno colorari in decantato hoc pulvere supra jam annotatum est. (§. 34.).

## §. 37.

Venenorum speciebus enumeratis (§. 34, 35.) & ex addi possunt, quæ in remotioribus diversis virium eorum qualitibus



*tatibus* fundantur. Inde nempe dividenda sunt in *a*) *elastica*; *b*) *irritantia*; *c*) *gravantia*, *d*) *cohaesionis* seu *attractionis* vi nociva praedita; *e*) *electrica*; *f*) *magnetica*; *g*) & forte alia, ab aliis viribus nondum cognitis & ex phaenomenis demum detegendis determinanda. Sed his immorari, meum jam non esse sentio. Primo namque à fine praesentis disquisitionis remotiora, deinde altioris indaginis determinatuque difficiliora sunt, & denique adhuc nimis controversiosa, adeoque aliis perspicacioribus scrutatoribus rerum dynamicarum illa relinquenda esse intelligo. Saltem nondum certum evictumque esse video, utrum dicta virium nomina tantum diversa, an ipsae sic dictae vires reapse diversae sint, nec nominatarum aliae ex aliis, aut omnes ex una eademque v. g. ex elastica derivandae sint. *Magneticorum venenorum* aliorumque phaenomenorum nomine minimum vel *qualitates occultas* & saepius ineptas, vel aliunde explicandas vendunt, qui phantasiae ludibriis, & ingenii lusu magis, quam judicii usu clari & clarissimi viri haberi volunt, habenturque non raro a suis similibus.

## §. 38.

Tantum de *venenorum* varietatibus respectu *qualitatis* ipsorum (§. 34-37.) sequuntur, quae *quantitatis* intuitu sese nobis offerunt variae, non quidem eorum *divisiones*, sed *distinctiones*. *Quantitates enim non variant species*.

## §. 39.

*Massae* itaque respectu prima haec occurrit varietas. Vis venefica residet aut in simplicioribus mixtorum principiis, aut in compositis. Vnde venena dispescuntur in *a*) *elementaria*; *b*) & *composita*; & haec: 1) in *primitiva*, seu simpliciora & 2) *derivativa* seu magis composita, *decomposita* dicant, qui termino hoc barbaro delectantur. Ita quaelibet arsenicum constituent particulae sunt corpuscula ejus primitiva venenosa. Ex ejusmodi particularum arsenicalium unione oritur venenum compositum derivativum, quod arsenicum vocatur.

## §. 40.

*Composita* vero nominata (§. 39.) non confundenda sunt cum supra (§. 34.) mixtis dictis venenis. *Mixta* semper ex  
C diver-



diversis composita sunt. Sed composita tam primitiva, quam derivativa non semper ex diversis, sed & ex similibus constant. Præterea altera illa (§. 39.) *compositorum venenorum distinctio* omnino innuit, in priori *distinctione elementaria* in significato strictiori sumi, nec hic tantum respici *elementa chymica*, quæ secundi nominis venena, *composita* nempe, quæ dixi *primitiva*, involvunt. Neque vero me terreret objectiuncula, quæ ab accuratioribus *analyseos* contemtoribus hic formari posset dicturis forsan, hæc talia justo remotiora esse & nimis subtilia atque *hyperphysica*. Verum doctrinæ ratio sæpe suadet, immo postulat, quæ alias superflua videri possunt. Phyfici metaphysicis carere nequeunt; & unde quæso veneni compositi indolem & operationem repetamus, nisi ab ejus constitutivis & componentibus. Horum quidem in illis unio modusque compositionis varias efficaciam ipsorum determinaciones, in directione & celeritate virium effectricium, sed totius eorum naturæ noxiæ ultima ratio ab iis, ex quibus constant, repetenda est. Horum congeries certe nil operatur, nocent tantum, quæ in illis congesta sunt.

#### §. 41.

Vt *Massæ* (§. 39. 40.), ita *voluminis* venenorum quoque respectu, varia sunt venena. Quoad volumen nempe *vel* majori *vel* minori spatio eorum continetur massa. Hinc *distinguuntur* recte in a) *concentrata*; & q) *diffusa*. Illa proinde ea sunt, quorum massa major minori, hæc contra quorum massa minor majori continetur spatio. Illorum exemplum præbet oleum vitrioli, horum, spiritus vitrioli.

#### §. 42.

Hæc ita suo *fundamento* debite superstructa & *definite* exposita venenorum diversitas, non modo vulgo etiam recepta est, sed retentu digna applicatuque utilis omnino in *utraque medicina*, ad nos solos pertinente tam, quam in forensi ad *jurisprudentiam medicam* una spectante. In cognoscendis enim & removendis, pariter atque inde judicandis pro foro etiam morbis læsionibusque a venenis oriundis plurimum refert nosse, utrum



utrum illa sint *concentrata*, an *diffusa*, quum minima concentrati dosi diversissima alia symptomata producere possit, & plus nocere, quam diffusi longe majus præbium.

§. 43.

Varietates venenorum *respectu quantitatis* adhuc ob oculos habens *virium* ipsorum haud immemor sum. *Vires* eorum non modo *celeritatis* & *directionis* ratione, sed & *potentia* ipsorum in se spectata peccant. *Celeritatis* & *directionis* vitia infra indicanda erunt, ubi de eorum varietatibus, quæ ab eorum *operationibus*, effectibusque funestis pendent, sermo erit; huc spectat, quæ ab eorum *potentia* innata in se spectata derivanda est varietas, ab illis proinde, ut in omni accuratiori ita & in hac de toxicis doctrina exquisitius discernenda. Quoad suas quippe *potentias innatas* venena majori vel minori nocendi vi polent. Vnde ea recte distinguuntur *a*) in *debiliora*; & *b*) *fortiora*, quorum illa itaque a *lentis*, & hæc a *velocibus*, ut termino BOERHAVIANO utar, omnino distinguenda sunt. Ita mercurius præcipitatus debilius venenum est sublimato. Non obstat hisce *debiliora* etiam esse *lenta*, & *fortia velocia*, quoniam diversa ratione talia sint, adeoque alio hæc, alio illa nomine insigniri debeant. Diversa enim diversa postulant nomina technica, quibus, ut par est, ad artis regulas in foro erudito discernantur. Diversam autem esse dictorum rationem, vel ex hoc solo intelligitur, quod dentur venena aliis debiliora, neque tamen lente nocentia, adeoque lentis non accensenda, ut modo allegatus mercurius præcipitatus sublimato longe debilior.

§. 44.

A venenorum varietatibus respectu qualitatis (§. 41.) & quantitatis (§. 38.) eorum occurrentibus, & hætenus explicatis, ad ea illorum propero discrimina, quæ ab eorum origine petenda sunt.

Hic

*Iliacos intra muros peccatur & extra.*

Venena generantur & extra & intra ea, quæ lædunt subjecta. Hinc dividenda sunt in *a*) *domestica*, seu *innata*; & *b*) *adventitia*.



Illorum *exempla* fiſtunt Carcinomata, peſtes, virulenta ex aere illata miasmata, & qualiacunque ab adventitiis venenis induc̃ta ſymptomata iterum venenofa. *Adventitiorum* venenorum ſpecimina, eorum *ſpeciebus* prius determinandis, ſubjungenda erunt.

## §. 45.

Originis nempe intuitu (§. 44.) *innatis*, quibus opponuntur *adventitia*, venena *vel* plane *materialis*, *vel* & *immaterialis* ſunt *proſapiae*. Quod juxta *varietatis* ſola *reflexione* (§. 44.) innotefcentis *fundamentum*, venena *adventitia* dignoſcenda ſunt in *a*) mere *materialis*; & *b*) *immaterialis* originis. Prioris nomininis exempla ſupra (§. 34.) dicta ſunt. Poſterioris notæ venena fiſtunt, quæ ab animi pathematibus generantur mala, iis, quæ ab aliis venenis mere materialibus producuntur, plane ſimilia.

## §. 46.

Atat quis? ſubdubitari hic prævideo, quis *animi pathemata* venenofa dixit unquam, aut dixerit nunc demum? Non ipſa eſſe reſpondeo, animæ pathemata hic dicuntur venena, ſed eorum in corpore effecta, quæ talia dicenda, nemo negaverit, quiquis datam (§. 14.) admiferit *veneni ideam*. Hanc itaque aut non repudiet, oportet, aut aliam ſubſtituat hac meliorem, quæ, quod maxime notari velim, ita tamen comparata fit, ut non plura nec a vulgaribus conceptibus magis remota involvat paradoxa. Quis vero in accuratius determinandis *terminis*, tam vage ubique uſurpatis, omnia evitaverit inſtabili dicendi conſuetudini non ubique conformia, & non niſi huic adſuetis paradoxa?

## §. 47.

Inſolitam hanc doct̃rinam *exemp'a* forte illuſtriorẽ reddunt. *Venenorum adventitiorum* præcipuæ *ſpecies* ſunt, vi ſua coagulante & rodente corpus deſtruentia. *Moerore* autem, præſertim concluſo, diurno & ineluctabili, quodnam poteſt eſſe potentius venenum lentum, & vitalem laticem vehementius inſpiſſans? *Bile ira* concitata omnia corrodinge, inflammante,



mante , totamque œconomiam vitalem celerrime sæpius destruente, quod quæso aliud vehementius causticum & corrosivum? Saliva iratorum & rabidorum ab omnibus summum heteroclitorum (§. 27.) venenorum habita, quid atrocius lædit? Quid violentius omnia perturbat? Hujus vero veneni efficaciam quis a sola vi materiali deduxerit? Nonne homo animal rationale a morfu canis rabidi in canem mutatus contrarium loquitur, nonne tristissimo hoc phænomeno docemur, altius & ab ipsius canis pathematibus *repetendam* esse hujus veneni originem? Nonne vel solo hoc exemplo satis superque constare potest, dicti (§. 45.) nominis non modo dari reapse, sed frustra nimis paradoxam videri posse (§. 45.), quam adoptavi veneni notionem (§. 14.), qua stante inconcussa pariter stabunt, ex ea, utpote primo in hac materia demonstrandorum *principio*, legitime deducta *principiata*.

## §. 48.

Neque ipsi data (§. 14.) veneni notioni repugnat, adducta & ex re ipsa vindicata (§. 46.) atque ultra (§. 47.) exemplis confirmatio reddita divisio. *Vi generis* in ea positi omne quidem venenum *materiale* est. At illud non divido in *materiale* & *immateriale*, sed cogitate loquor de mere *materiali* & huic oppono *materiale*, ab immateriali vi & inergia perturbatum (§. 47.). *Substantias* vero  *materiales* ab *immaterialibus* adfici posse, saltem admissio virium qualiumcunque mutuo commercio, negari non posse existimo, atque statuendum esse judico, *materiale* sola vi mere motrice præditum ab *immateriali* ita affici & perturbari posse, ut *vis* illius subiecto suo alias *naturalis*, *praeternaturalis*, & plane nociva, adeoque quod idem (§. 16) dicit, *venenosa* fiat. A posse quidem ad esse non valet consequentia, quam nonnunquam neglecto adeo primario hoc veritatis fundamento in abstrusioribus rebus admittunt, qui perspecta aliqua alicujus phænomeni possibilitate rationem illius actu etiam ita se habere, vel ipsi mox credunt, novarum *hypothesium* *creatores*, vel credere sinunt alios illis deceptos, ut celebriores habeantur rerum inventores, & oculatiores phænomeno-



rum scrutatores. Ego vero me hic non in possibilitatum regno versari video, quin tantum abest, ut eo seductus fuerim, ut ab esse ad posse potius argumentatus sim. Quod firmissimum sane & omni exceptione majus argumentum præbent, vel sola illa *pathemata canina*, a cane rabido in hominem inducta, & quasi transfusa (§. 47.).

#### §. 49.

Alterius indicati (§. 45.) nominis venena *adventitia* nempe *mere materialia* denique duplicis classis sunt. *Vel* enim sponte natura gignuntur, nulla accedente opera nostra, *vel* hac concurrente producuntur. Hinc subdividuntur in *a) naturalia*; & *b) artificialia*, quorum illa sponte naturæ, hæc vero artis ope producuntur. Prioris nominis maxime sunt vegetabilia virulenta dicta (§. 34.), & alia. Posterioris autem notæ præsertim sunt *chymicorum* & *alchymicorum* studiis operibusque producta venena, ut vulgo sic dicta præcipitata, & sublimata corrosiva &c.

#### §. 50.

Tertiæ classis venena, si quis omissa hic (§. 49.) esse objecerit, addenda forsan nempe *supra naturalia* seu *miraculosa*, ea consulto, nec male omissa esse, regesserim. In foro enim philosophico nos circa hæc versari sentio. Vtrum vero in hoc vel ipsa *theologia naturalis miraculorum existentiam* agnoscat ignoretve, equidem jam non disquiram, eorum ceterum *possibilitatem* haud negans; sed ab hac ad illam non valet consequentia.

#### § 51.

Si *venenorum artificialium* scaturigines spectamus propius, hem! quanta eorum se nobis offert affluentia? tres hic se aperiant fontium scatebræ, e quibus venena pleno emanant flumine, *fons* nempe, ut recepto jam utar loquendi modo, *pharmaceuticus*, *chirurgicus*, *dieteticus*. Unde venena artificialia iterum (§. 49.) subdividuntur, in *a) pharmaceutica*, ut modo dicta (§. 1. c.), item opiata pro sanguinis profluviiis sistendis pessime dari solita; *b) chirurgica*, quibus toties gangrænas, sphacelos, carcinomata ingenerant artistæ, sit venia verbo, quis



quis enim meliori nomine eos dixerit artifices? & c) *diætetica* denique, exempli gratia potulenta opii in modum inebriantia & stupefacientia, non fermentata, lupulo aliisque inebriantibus infecta, vina austera, ficcantia, incrassantia, coagulantia, plumbeo mangonio saturniam malorum lernam aperientia, esculenta vel in se alias etiam optima, sed artibus coquinariis & vasis vim ipsis imprimantibus in venena mutata, vel in se jam venenosa, ut *Lolium temulentum*, *fungi*, classis naturalis *cryptantherarum* botanicis, *Gallis champignon* dicti, hoc nomine veteribus jam infames, us *PLINIVS* cibo hoc ancipiti integras familias perisse reliquerit, & nostrorum temporum monumenta insignes de iis habeant strages, ut ex solo venenatorum horum fungorum odore convulsiones, dein mortem; ab esu eorum stultitiam, aliaque mala horrenda; an etiam *pastinaca*, de *umbelliferorum* genere juxta *Act. Phys. med. N. C. Vol. VI*? an *lauro cerasus officinarum*, *padus Botanicorum*, si quidem eadem non iisdem, aliisque apud hos, aliis apud alios nominibus insigniri consuetum habetur.

## §. 52.

Coquos coquasque se hisce (§. 57.) fervidiori severiorique indignatione prolatis offendi, non clamaturos esse, facile mihi persuadeo. Neque cerulas miniatulas aliorum ad ista extimescenda esse prævideo. Quæ enim veneficos & veneficia tangunt, quid ea ad probæ notæ medicos, chirurgos & pharmacopæos?

## §. 53.

Sed ad alia, ad venenorum *operationes* & *modum* eorum *operandi*, & dehinc porro derivandas eorum varietates festinandum mihi est. Venena quæ dicuntur, vel cita vel tarda operatione nocent necantve. Hinc discernuntur usitate non minus quam recte etiam in *a*) *velocia*; & *b*) *lenta*. Illorum exemplum præbet *Cobaltum*, horum *saccharum saturni*, quem pulverem vel in sicca forma vel solutum impotentia, *phthiseos* aliorumque malorum mortisque tandem auctorem *Galli poëdre de succession* vocant, & toties deglutiendum accipiunt, miseri impuræ veneris fratres, sororesque, pro infeliciter sistendis



dis gonorrhæis & fluoribus albis , a medicastis & chirurgastis male tractati.

#### §. 54.

Respectu activitatis suæ venena porro dispescuntur in *a*) *fixa* *b*) *volatilia*, & *c*) *fixo-volatilia*. Et *volatilia* iterum in *a*) *halitiosa* & *b*) *vaporosa*. Vulgo in *fixa* & *volatilia* tantum dividuntur, sed triplex hic occurrit varietatis fundamentum, hinc in eo fundata *divisio* non potest non esse trimembris. Neque vulgo *volatilia* in *halitiosa* & *vaporosa* subdividere moris est; quæ tamen *subdivisio* pariter iusta est, nec negligenda. *Fixorum* & *volatilium* exempla supra (§. 35. *a*) dicta sunt. *Fixo-volatilium* specimina præbent stupefacientia, quæ simul causticis stipata sunt principiis, ut *opium* omnino sulphureo-causticum mixtum exhibet, ut proinde ejus operandi modus, effectusque neutiquam ab alterutra tantum virtute nociva explicari possit. Inter *halitiosa venena* militant fumi carbonum accensorum conclusi, arsenicales exhalationes, *vaporosa* sunt paludum, cadaverum, multi fermentescentis vapores.

#### §. 55.

Variorum, quæ venenis adficiuntur, tam remotiorum, quam proximiorum *subjectorum* intuitu, varia quoque sunt venena. Primo quidem illa hæc vel tota vel ex parte tantum infestant, ex quo dividuntur in *a*) *totalia*, seu totius *substantiæ*, & *b*) *partialia*, quod discrimen præsertim perbene illustrat lues venerea *universalis*, & virulentæ gonorrhææ, & fluoris albi maligni nominibus celebris *particularis*, in utriusque sexus genitalibus concepta adhuc subsistens, quæ vero vel neglecta, vel, quod vulgo fieri solet, male tractata in universalem degenerat, tum sane multo ominosior, curatuque difficilior. Ita quoque acidum vitriolicum a circumforaneis dentibus adplicatum, utpote hisce infensissimum & præter cariosos, vicinos & adhuc sanos una destruens, est venenum *partiale*, deglutitum vero iusto copiosius exempli gratia lithotriptici nomine venenum universale existit, fluida coagulans & solidas corporis animalis partes prius corrodens, quam calculos.



§. 56.

Venena *totalia* modo dicta nominari etiam possent *universalia*. Sed malui ea appellare *totalia*, seu *totius substantiae*, ut Veteres jam locuti sunt, ut discernantur ab *universalibus*, seu omnibus in *universum* nocivis, quorum existentia saltim affirmari nequit, licet eorum possibilitas haud possit negari.

§. 57.

Superest hic (§. 55.) addi dignior varietas. Observationibus experimentisque cognitum est, eadem non omnibus æque nociva esse, quin quæ aliis nocentissima sunt venena, aliis optima sæpe esse vel medicamenta, vel adeo nutrimenta. Constat insuper id ita evenire quoad integras vivorum familias, seu ut technicis utar terminis, *genera* & *species* tam, quam quoad certa etiam ejusdem *speciei individua*. Venena hinc dividuntur in ea *a*) quæ *integræ generibus* & *speciebus*, & ea *b*) quæ certis tantum ejusdem *speciei individuis* venena sunt. Priora iterum dividuntur in ea *a*) quæ *vivis inanimatis*, seu vegetabilibus venena sunt (si quidem non iusto latior habetur eo usque extensus veneni significatus), & *b*) *venena animalibus* & hæc de novo in *1*) *venena hominibus*, & *2*) *venena brutis*, hujus vel fortius tam necessarij discriminis faciendi respectu priora non iusto longius petita videri poterunt. Notum enim est, quam frivola & periculosa sæpe sit ab analogia concludendi consuetudo. Cognitum autem habemus, brutis venena non esse quæ hominibus & v. v. Ita bruta sæpe vescuntur & optime nutriuntur vegetabilibus, quæ hominibus pestilentissima sunt venena (§. 33.).

§. 58.

Hæc talia sane tam circa *dietetica* & *medica*, quam circa *forensia* probe ubique discernenda sunt. Hæc maxime etiam tenenda circa ea, quæ in brutis cum venenis instituuntur *experimenta*, ne nos decipiat casuum analogia, & ab una parte quod bruto non fuit, homini quoque venenum non esse, inde mox obiterque concludamus, vel ab altera parte decepti



existimemus , quod brutis , id ideo etiam homini venenum esse. Quod vero ad ea attinet , quæ brutis certa venena sunt , nec homini noxia creduntur , ut fungi esculenti , amygdalæ amaræ *cet.* ea & inter nos consultius suspecta habere existimo , si vel in eo etiam aliquando erraverimus. Ejusmodi enim error tutius admitteretur , quam incertum adhuc periculum. Quin ne error quidem in eo esset , si in dubio relinqueremus ea , quibus egregie carere possemus. Equidem prudentius eos agere existimaverim , qui e. g. amygdalas illas indeque paratas cupedias & fungos sic dictos esculentos , quos quia vel mitiores , vel acidis paululum correcti minus aperte nocent , ideo non pro plane nocivis habendos esse censeo , audacioribus sine opprobrii formidine relinquunt. Et quid tum vel ipsis nostris detrahitur deliciis , cum centenæ aliæ sint , quæ illis substitui possunt ?

#### §. 59.

Alias quæ homini brutisque venena dicta sunt ( §. 57. ) *hominum* & *brutorum* venena dicunt , sed inepte minusque accurate. Illa namque ab his plane distincta sunt , adeoque in accuratiori doctrina distinguenda. Alio hæc , alio illa respectu ita nuncupantur. Quin jam ex metaphysicis intelligentioribus cognitum est , aliud esse *bonum malumve hominis* , aliud *homini*. Ita saliva rabidi canis est venenum homini non hominis.

#### §. 60.

Præterea tam ea , quæ *brutis venena* sunt , quam *venena homini* recte & utiliter dividuntur in a ) *venena corpori animali* & b ) *venena animæ* & c ) *venena toti animali*. Teste enim experientia alia præsertim corpus animale anima , huic insita vix tacta afficiunt , alia contra hanc maxime perturbant , illo vix læso , alia denique utramque animalis partem notabiliter lædunt. Prioris generis *exempla* præcipue dant *lenta venena* , corpus sine notabili animæ læsione destruentia. *Animæ venena* a potiori recte habentur , dicunturque *philtrea* & *pocula amatoria* a venenis neutiquam eximenda aut separanda , ut nonnulli id faciunt , quia ista omnia certe venena sunt. Huc quippe spectant vinominis

ræce-



recepti etiam pro talibus habita, aut saltem habenda. sic dicta stupefacientia. Tertiū generis venena sunt e. g. *caustica corrosiva*, quia una dolorifica, corpus enim quod ab illis corroditur non dolet, sed anima ipsi insita dolet. Magni momenti esse in rebus mere medicis & medico-forensibus, ad hæc discrimina attendere, non est quod moneam.

§. 61.

Ea venenorum *species*, quæ *individuis Venena* esse dixi (§. 57.), ambigua videri posset. Sed quemadmodum e. g. tantæ efficaciz sæpe existunt *idiosyncrasiz*, ut quæ ejusdem *speciei individuis* ordinarie conducant, nonnullis aliquando veneni loco sint, ita quoque *consuetudinis* tanta vis est, ut, quæ similibus individuis alias lethalia essent, nonnulli sine ulla saltem notabili noxa usurpent. Ita Turci tantam opii copiam voluptatis causa assumunt, qua a nobis sumtum certe præsentissimum esset venenum. Sic non *moraliter* tantum sed & *physica* valet illud: *duo cum faciunt idem, non est idem.*

§. 62.

Iam ad venenorum varietates ab eorum *effectibus* deducendis devenio. Illos *vel* mediate *vel* immediate producant, unde in a) *mediata* & b) *immediata* dispescuntur, cujus discriminis analysi intellectu tam facilis, ut eam hic præterire liceat. Sed dicto respectu alia occurrunt notatu & evolutu digniora discrimina.

§. 63.

Venena nempe aut sine vitæ dispendio suum edunt effectum nocivum, aut sanitatem non modo, sed & vitam destrunt, unde dividuntur in a) *lethalia*, & b) *non lethalia*, cujus discriminis ratio iterum ita plana, ut ulteriori evolutione non indigeat.

§. 64.

Verum non modo *lethalia*, sed & non *plane lethalia*, & sine vitæ jactura *damna* inferentia graviora & sæpe *permanentia*, *vel* ita comparata sunt, ut per se non possent non esse utroque modo plane nociva, *vel* una vi aliunde impressa sanitatem & vitam



destruunt. A cujus discriminis ratione pendent utrorumque *lethaliū & non lethaliū* subdivisiones, in *a) absolute*, & *b) per accidens* talia. Quorum *illa* itaque sunt venena, quæ nocivi sui effectus rationem in se habent, seu quæ sola sua vi propria, hæc autem, qua aliunde determinata demum lædunt, & interficiunt. Ita Mercurius sublimatus veneni *per se*, mercurius dulcis saburram acidam in primis viis offendens *per accidens* nocivi aut plane lethalis exempla sunt.

### §. 65.

Tria ad hæc monenda sunt, primo quidem venenum *absolute nocivum* (§. 64.), *lethale* æque ac *non lethale*, & venenum *absolutum* idem dicere & esse, & venenum *per accidens* nocivum tam *lethale quam non lethale* idem significare, quod venenum *per accidens*, vel brevius dicit, vel latius sumtum exprimit, adeoque aliter posito varietatis fundamento venenum *absolutum* pariter atque *per accidens* tale subdividi posse, in *a) lethale* & *b) non lethale*. Ad hanc discriminis rationem (§. 64.) vulgo non debite attendere videntur, intricatæ hujus materiæ accuratorem *analysin* negligentes. Sunt nempe non solum, qui venenum dari plane negant (§. 12.), sed & eos inter, qui dari largiuntur, *absolutum* dari, saltim negant. Sed his vel fraudi est non intellecta synonymia veneni *absoluti* & *absolute* nocivi aut *lethalis*, cui opponitur venenum *per accidens*, & *per accidens* nocivum aut *lethale*, vel confundunt venenum *universale*, seu omnibus nocivum, quod certe non datur.

### §. 66.

Præterea hic (§. 64.) neque venenum seu *veneficium* *immediabile* cum *absoluto*, neque *medicabile* cum *veneno per accidens* ultra (§. 65.) confundendum est, cujus discriminis ratio infra congruo suo loco occurret. Hoc alterum est.

### §. 67.

Tertium (§. 65.) ad ista (§. 64.) monendum huc redit. Tertium non datur inter venenum *absolutum* & venenum *per accidens*, quod ii tamen admittunt, qui trimembrem admittunt, *singunt* dixerim rectius, læsionum & vulnerum omnium divisionem



sionem in *absolute*, per *accidens* & ut *plurimum lethalia*. Quæ enim apertior & vel primis veritatis principiis magis repugnans esse potest *divisionis fallacia*!

## §. 68.

Trigæ (§. 65-67.) ad ista (§. 63, 64.) monitorum hoc porro addendum animum subit. Venenum per *accidens* nocet necatve quidem, concurrente alia vi ipsi impressa. Verum id ideo neque cum *composito*, quatenus huic simplex (§. 39.) neque cum *concurrente*, quatenus huic *solitarium*, neque cum *socio* seu *concurrente* ejusdem, cui *diversi ordinis concurrentes*, neque cum *mixto* (§. 34.) quod ex ejusdem & diversi ordinis venenis conflatum esse potest, quatenus *puro* opponuntur, ultra (§. 65-67.) confundendum est.

## §. 69.

Tanti usus sæpe est, ut in aliis ita in hac de venenis doctrina, vel unius asserti enucleatior certiorque *analysis*. Ita intricatissimæ feliciter extricantur materiæ (§. 63, 64.). Ita dudum controversiosa, & sæpe inimica lite agitata, amicabilem admittunt compositionem (§. 65.). Ita longo usu admixtæ confusiones evitantur, solemniioresque errores remonentur, quibus hic & is accensendus est, in quo versantur, qui in definiendo veneno vim lethalem tantum ob oculos habent, aut saltem ab illa non semper lethali (§. 66.) non debite distinguunt. Tantum enim abest, ut venenum dici possit, quod *minima mole* aut *cito* necat, ut potius plurima sint, quæ neque necant, neque cito perimunt, & maxima tamen sanitatis detrimenta etiam permanentia sine vitæ dispendio inferunt, adeoque miserrimam tamen vitam vivere faciunt, venenorum nomine accusanda, & punienda omnino æque ac alia. Taceo singulares usus ab hisce & similibus distinctionibus & divisionibus in *medicina nostra forensi*, æque ac huic superstruenda *jurisprudencia medica* expectandos.

## §. 70.

Ad funestos in *animalibus* maxime obvios *venenorum effectus*, attenti observamus & experimur, eos non tam quoad corpus



quam quoad animam mire varios esse & totaplices, ut vix ac ne vix quidem omnibus numeris sufficiens, & plane *fixum* *divisionis* eorum *fundamentum* deprehendere possimus, adeoque coacti jubeamur, varietates inde pendentes a potiori determinare, & *mixta* insuper iis supersternere *fundamenta*. Eorum scilicet quæ, quam animæ, corporis functiones magis lædunt perturbantque; communiora effecta hæc sunt: *alia* maxime partes solidas, vel duris ossisque non exceptis, vi sua septica male adficiunt, corroduntque; *alia* illis relaxationes, atonias, paralyfes producunt; *alia* in iisdem strisuras, spasmos, rigiditates procreant; *alia* in fluidis maxime virus suum exserunt, illa inviscando, coagulando, exsiccando, inspissando; *alia* contra dissolvunt funduntque humores. Inde deducuntur venenorum *species*, quæ dicuntur a) *acria* s. *septica* b) *relaxantia*, c) *adstringentia*, d) *inspissantia*, e) *resolventia*, f) *inebriantia*.

## §. 71.

Recepta hæc sunt *nomina*, & a venenorum *effectibus* desumpta, adeoque recte huc referuntur dictæ *species*, utpote vi nominum ipsorum ab *effectibus* determinatarum. Exempla omnium satis cognita sunt, adeoque jam non repetenda.

## §. 72.

*Acria septica* (§. 70. a) triplici nomine recte distinguuntur in a) *incidentia*, b) *rubefacientia*, c) *corrosiva*; *distinguuntur* autem, non *dividuntur*, quoniam gradu tantum differunt. Hæc pro vario effectuum suorum remotiorum iterum variant, & pro varietate hac varia variis insignienda sunt nominibus dicenda v. g. *inflammantia*, *stimulantia*, seu *irritantia* cet. Haud vero putandum est, hæc sola talia esse, quum & aliorum vis in corpore vivo & organico semper relativa est, & aliter determinata alium producit sub hoc, alium sub alio habitus & vitalitatis statu. Hinc non ut fieri solet, promiscue usurpandi sunt ejusmodi *termini*, nec v. e. hujus classis mixta nunc *inflammantia*, nunc *stimulantia*, nunc *rodentia* dicenda sunt, nunc aliis



aliis nominibus insignienda, sed ut hic *caustica inflammantia* cet. pressius sic dicta, ab *inflammantibus*, *stimulantibus generatim* dictis sollicitè discernenda sunt. Quæ non *verborum* sed *rerum distinctiones* maximi sane momenti sunt, in practicis maxime negotiis nostris melius expediundis.

### §. 73.

De reliquis nominatis (§. 70.) eadem (§. 72.) tenenda sunt. Ita *relaxantia* non solum sunt ea, quæ vulgo talia dicuntur, sed & alia aliis nominibus venientia. Frequentissimæ sunt ineptæ non modo, sed & haud raro erroneæ locutiones, *materiam* nostram *medicam* dehonestantes, quas, si evitare nec in damna etiam clinica admittere velimus, curatius expendendum erit ubique; *primo* quidem omnium mediorum medicorum vires esse relativas, *deinde* præstare ea, quæ ab effectibus denominanda sunt, vel jam denominata, ab eorum effectibus proximis denominari, & ubi id non fit, distinguendo inter nomina a proximis & a remotioribus effectibus desumpta, cavendum esse, ne in devia abripiamur theoretica & practica. Communissimi ejusmodi sunt errores, quibus favet sæpe mere titulares medicamentorum inscriptiones. In exemplo esse potest, *vulgaris* ille *pulvis temperans* dictus & *antispasmodicus*. Ab effectû ejus petito hæc denominatio certe remotior est, & non nisi certis in casibus aliquid veri habet, & tuto dari potest. Quoad proximiorum suum effectum incidens, resolvens, digestivum est, adeoque ab eo sic dicendus, si quidem finistrum evitare & remove velimus ejus usum, sub quo veneni loco (§. 36.) toties deglutitur. Spasmi cruciantur, immo convelluntur sæpius, in quibus nullæ spissitudines, quis enim ab his folis oriri dixerit spasmodica mala? Sanguinis ebullitione aut tectiori humorum incendio comburuntur quasi, ut sub febribus putredinosis, malignis, in quibus neutiquam spissescunt, sed resolvuntur vitalia fluida. His in adeo celebrato pulvere potentissimum dare resolvens, adeoque eo ipso malignissimam resolutionem & fusionem humorum, ubi acida optima præberent temperantia, imprudentissime



tissime augere & promovere, quid magis nocivum esse potest? Quis ejusmodi praxin a veneficii crimine liberaverit? si hæc talia venena non sunt, & quidem venena venenis sæpe addita (§. 34.), quid venenum sit, ego non comprehendo (§. 36.).

#### §. 74.

Venena alio posito varietatis *fundamento simpliciori* opponenda prioribus (§. 70. c) sub se comprehendunt partim *specie*, partim *gradu* distincta vulgo dicta *austera*, *stiptica*, *drastica*, *cet*: spasmi, stricture, & rigiditates quidem etiam excipiunt acria, inspissantia, obstruentia, inebriantia; sed ab effectibus proximis ea omnia denominanda sunt, aut nisi id fiat, curatius distinguenda, quod posterius vero doctrinæ rationi non æque convenit (§. 73.). Deinde distinguere debent *effectus* & *eventus* & *eventuum coëxistentiæ*, & præterea *causæ* & *conditiones*, sub quibus operantur. Neque enim hic sine doctrinæ & praxeos detrimento pro veneficiorum causis habentur, quæ conditiones tantum sunt.

#### §. 75.

Venenis inspissantibus (§. 70. d) comprehendo *siccantia*, *inviscantia*, *coagulantia*; solventibus (§. cit. e) *attenuantia*, *fundentia*, gradu tantum distincta (§. 72). Venena animæ, quæ dixi (§. 60.) supersunt, nunc quoad eorum varios effectus, & inde quousque licet (§. 70.) pendentes ipsorum varietates determinanda. Hæc ut varia producant phænomena, ita ab his varia pariter jam sortita sunt nomina, licet iis nonnulli vage adhuc utantur. Huc referenda sunt partim *specie* partim *gradu* discernenda, *hypnotica*, quibus opponuntur *anti-hypnotica*, *narcotica*, gradu ab illis distincta tantum, *soporantia*, *anodyna stupefacientia*, quibus addi meretur divisio in *luggubria* & *jucunda*, sed dulci & jucunda sua inergia amara & lethalia mala inducentia, quo spectant diabolicæ veneris artificia, *philtrea* dicta, quæ omnia venena sunt damnosissima.

#### §. 76.



§. 76.

Respectu *ambitus effectuum* tam eorum, quos in *suis* ipsorum *inhaesionis subjectis*, quam in aliis a se *distinctis* edunt *subjectis*, venena etiam utiliter dividuntur. *Vel* enim illa aut solas quibus infident, partes lædunt, aut per reliquas eorundem *subjectorum* partes se diffundunt, *vel* eorum efficacia noxia non illis tantum subsistit, sed virus etiam suum in alia ab illis *distincta* *subjecta* transfundunt. Priori varietatis fundamento nititur eorum divisio in *a) consensualia* & *b) non consensualia*, posteriori vero in *1) contagiosa* & *2) non contagiosa*. Satis igitur *fundatae* hæ sunt, nec *inutiles*, quantumvis minus usitatae *divisiones*. Liquet pariter, quid harum *specierum* nominibus *definite* veniat. Liquidiora hæc reddunt exempla notissima. Cobaltum inspersum puellæ porrigine laboranti, quæ ex observatione HALLERI post paucas horas rapta est, eatenus *consensuale* erat venenum; non *consensualis* autem idem est, nudas sæpe fessorum manus & pedes erodens intacto reliquo corpore, ita & non *consensuale* existit virus in virulenta gonorrhœa, & fluore albo virulento in genitalibus subsistens, quod si neglectum vel mala arte suppressum ex genitalibus in massam humorum resorbetur, *consensuale* non audit, sed *universale*, seu venenum *totius substantiæ* dicendum est (§. 55.). Vnde patet qua ratione hæc ab illis differant.

§. 77.

Nec defunt exempla *contagiosorum* venenorum & non *contagiosorum*. In illis prodeat jure suo sola *venus venenosa*. *Pocula* ejus *amatoria*, *philtrea* dicta (§. 60.), non sunt *contagiosa*, ipsum autem *miasma venereum*, omnium consensu venenosum, certe contagiosum est. Quatenus utriusque quidem sexus genitalia contaminat, & ex his resorptum in universum corpus emanat, hujusque fluidas & solidas partes, duris osseisque non exceptis inficit, contagiosum quidem non dicitur. Verum hæc, ut confimilis quævis alia *infectio*, cum *contagio technice* dicto non confundenda est. *Contagium* infectionis *species* est, & *definite* dicit infectionem alterius ab altero *distincti* *subjecti*. Ex hac forte nondum vulgata contagii notione elucescit, quid in *genere veneni contagiosi* nomine veniat? quid *non contagiosi*? quid



*contagiosi veneri in specie ? communis vero experientia testatur, illud non modo suum ipsius subiectum inhaesionis nunc ex parte nunc in totum inficiens una contagiosum esse, quin imo, quam ipsa pestis, pestilentius & certius citiusque ac vehementius contagiosum. Hoc si capere & sibi capere possent vellentque veneris fratres sororesque, tantas inter eos strages non ederet tam funesta hujus sceleris contagio.*

### §. 78.

Multo plura largior, quam quæ hucusque tetigi, venenorum discrimina adduci potuissent, multa quoque eorum, quæ dixi, interque hæc præsertim ea, quæ supra (§. 70.) protuli, evolutiora dari debuissent. Verum posterius partim rei difficultas, partim mea huic superandæ obstans imbecillitas prohibebat. Quod ad prius attinet, addendæ fuisse videri possent *e. g. divisiones & distinctiones venenorum respectu loci natalis in a) mineralia; b) vegetabilia; & c) animalia; respectu subiectorum, quæ illis adficiuntur quoque (§. 55.) in a) communiora, & b) specifica, & hæc a) in cephalica, b) cardiaca; c) visceralia cet; respectu qualitatis etiam (§. 34.) in a) realia, & b) imaginaria, quo spectant magica, astralia cet. quorum posteriora ab illis, ut videtur, non quidem distinguere, sed reapse venenorum speciem esse volunt; respectu suæ in operando determinationis quoad loca & effectus in a) localia, s. ut loqui amant, specifica locorum, & b) specifica ægritudinum; respectu cognitionis nostræ quoque (§. 24.) in a) sensibilia & b) insensibilia; itemque in a) conticenda & b) non conticenda. Verum hæc & similia vel sponte omnibus sine ulteriori dilucidatione plana sunt, vel fundamento destituta; vel denique vi ultimæ distinctionis in publico maxime hujusmodi scripto conticenda sunt; hinc jure jam & ego hic*

*plura taceo.*

### §. 79.

Neque idcirco (§. 78.) ex præsentī tentamine expectandæ utilitatis spes nos, ut confido, frustrabitur. Suis perspicaciores augeant



augeant additamentis, sua poliant lima, hanc nostram qualem-  
cunque de venenorum discriminibus disquisitionem, & in  
acceptis ipsis referemus ulteriorem ejus *usum*, quem certe præ-  
stat enuncleatior de istis doctrina, tam *theoreticum* quam  
*practicum*, in cognoscendis, dijudicandisque causis *mere medi-*  
*cis*, & *medico forensibus*, in *removendis* proinde *venenis* & *anti-*  
*dotis mere titularibus*, *imaginariis*, *fictis*, *fabulosis*, *superstitiosis*,  
*magicis amuletis*, *officinalibus*, *aliisque*, qualia sunt e. g. *Characteres*,  
*imprecationes*, *clavi*, *acus*, *annuli*, *spiritus secundinarum*, quos  
contra philtum ex sanguine menstruo commendant, alia *antima-*  
*gica*, ut *herb. Hyperic. artemis. puleg. antirhin. adianth. aur. anagall.*  
*purp. flor. origan.* quæ & consimilia a peritis viris tanquam  
*specifica* (occultis scilicet! qualitatibus clara,) laudari di-  
cunt, alias celebres adeo viri, item *suffimigia* ex frustulo  
vestis illius hominis, ex quo fascinatio præsumitur, prunis  
injecto; *oleum ex arillis sambuci*, quod virtutem *specificè* eme-  
ticam hic habere somniant; alia *antidota* iterum *venenosa* ut *Bella-*  
*donna cet.* in *carcinomatis* veneno, *opium* in *haemorrhagiis*, *alexi-*  
*teria*, *theriacalia*, *alexipharmaca*, *chaotica*, vel nil *juvantia*,  
vel plane *nociva*; *Helleborus*, quo opus habent, qui tam ve-  
hemens præbent *causticum cet.*

## §. 80.

Determinatis venenorum & veneficiorum discriminibus,  
istis (§. 79.) tutiora, meliora, certiora erutu sane facilia erunt.  
Illis cognitis, cognitu applicatuque proclivia erunt *antidota ge-*  
*neralia*, (universalia earum non dantur,) *specialia* & *specialissima*  
ad *individualia* usque. Quæ enim facilius, quæ certior hic poterit  
esse praxis, quam cognitis e. g. *venenis acidis*, *antacida*, h. e.  
*alcalina*, *alcalinis*, *antalcalina* h. e. *acida*, *irritantibus*, *roden-*  
*tibus lenientia*, *involventia* & *diluentia* opponere? *cet.* Quem  
*usum*, ut intendi in hac mea opella, & ob oculos semper ha-  
bui, & habebo in posterum in praxi mea, ita DEVM supplex  
oro rogoque, ut adjuvante sua gratia a me impetrari etiam  
possit hic laborum meorum dulcissimus



1875  
The following is a list of the  
names of the persons who have  
been appointed to the various  
committees of the Board of  
Education, for the year 1875-76.

Committee on the  
Curriculum  
Committee on the  
Methods of Instruction  
Committee on the  
Physical Education  
Committee on the  
Mental Education  
Committee on the  
Moral Education  
Committee on the  
Social Education  
Committee on the  
Financial Management  
Committee on the  
General Administration

The following is a list of the  
names of the persons who have  
been appointed to the various  
committees of the Board of  
Education, for the year 1875-76.